

29  
*D. D.*

DISSERTATIO ACADEMICA  
*VULGARIA QUÆDAM*  
TEMPESTATIS SERENÆ  
**P R Æ S A G I A**  
CONTINENS,

---

QUAM

*Consens. Ampliss. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

**D: NO P E T R O  
K A L M,**

S. S. Theol. DOCT. Oecon. PROF. Reg. & Ordin. nec  
non Reg. Acad. Scient. Stockh. & Societ.  
Lit. Upsal. MEMBRO,

*Publico examini modeste sifit*

**M I C H A Æ L P O L V I A N D E R ,**

*Verbi Divini Minister*

In Audit. Maj. Die I. Julii MDCCLXXI.  
Loco & Horis a. m. Confyetis.

---

*A B O Æ ,*

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.



L. N. I.

**R**eipublicæ quoniam maxime debemus, omnino de eo, ut salus ejus promoveatur, semper solliciti simus. Hinc etjam inter alios, imprimis Eruditi, artes veteres excolendo novasque excogitando, nullo non tempore Patriæ prodesse voluerunt. Præfigire tempestates futuras, si viribus nostris non excideret, certe non minimam exinde utilitatem, aliis relictis, re tantum rustica considerata, nobis promitteremus. Quis enim est, qui non videt, quantum sibi gratularetur rusticus commodi, si ad tempestatem aridam aut humidam, calidam vel frigidam, & sic ulterius, certo concludere valeret. Quod licet difficillimum, industria tamen eruditorum jam jamque eo usque se extendit, ut varia hac in re proferre possimus, quare in usum Conterraneorum ipse fere plane imperitus, præfigia quædam eorum de tempestate serena, imprimis quæ mihi viri plures ex observationibus & experimentis suis Meteorologicis suppeditarunt, per Dissertationem hancce in lucem edere sum conatus, certo certius de Tua, Benevole Lector ad ignoscendum proclivitate, si haec præter opinionem caderent, persyalus.

## §. I.

Antequam ad prognostica, quæ nobis nunc sunt curæ, enumeranda nos conferamus, indicandum necesse est, quod Praeclarissimus Dominus Magister Docens LINDQVIST, quamvis in Dissertatione sua Graduali materiam hancce velut ex parte enodasse videatur, nullo tamen modo in nostras descenderit partes, quoniam præfægia tantum pluviarum attulerit. Si autem, ut prognostica tam pluviarum quam tempestatis serenæ juxta se invicem posita eo clariora evadant, ejus ordinem probatum in hocce nostro specimine fere imitemur, indigne non est ferendum. Commonetque Praeclarissimus Dominus Magister in Dislertatione sua eruditissima, Præfægia pluviarum esse aut ejus indolis, ut ex principiis Physicis facile demonstrentur, aut talia, ut caußæ eorum vel plane non vel saltem minus liquide pateant, eandem quoque sibi induerunt naturam præfægia tempestatis serenæ.

## §. II.

Prout jam naturæ tribuimus, quod inter alia, imprimitis vapores aquarum cavati, quorum adscensus in aërem, atmosphæram in temperiem alias pronam, humidam & nubibus interdum expletam reddit, unde pluviis, nive & grandinibus globus noster humectatur, e terra divellantur. Sic etiam plures dantur caußæ physicæ, per quas vapores hi aut plane dissipantur, ant antequam condensati descendunt, ad alias depelluntur regiones. Tales sunt e. g. 1. venti quidam, imprimitis aquilones. 2. Procellæ. 3. Ignes in silvis accensi, qui fumo ingenti velut quadam nube abscondunt calun. 4. Gravitas aëris, ad quam optime ab elevatione 2:ii in Barometro, et jam ab evectione nubium & fumi concludere licet, quæ omnina

mnia & vapores sejungunt, & atmosphæram ab exhalationibus prorsus vindicant. Concedunt & quidam. 5. *Lunæ sue cum transgressu super terram, vim commutandi cœli faciem,* quoniam post novendecim annos, quando Luna ad eandem redit seriem circumvagandi terram, fere easdem tempestates adferret, sed cum experientiæ & observationibas hoc adsertum contrarietur, merito in censum hic venire non potest.

### §. III.

Inter præsgia tempestatis serenæ, quarum caussæ rationem non ita latent, afferri possunt. 1. *Insueta siccitas carnium induratarum cuticulæque lardi.* 2. *Altitudo magna, ut ante dictum, & in Barometro.* 3. *Fumus linea perpendiculari in aërem adscendens.* 4. *Candela strenue ardens & sine Zona fulgens.* 5. *Chordarum laxitas aut remissio solito major.* 6. *Stellæ noctu clarius solito fulgentes.* 7. *Sol purissimus vel etiam radiis quasi colore aureo picturatis cælum serenitatem mane occupans.* 8. *Is uno eodemque statu, hoc est, purissimus vesperi de cælo, imprimis post pluvias, cumque non spissæ nec obscuræ sed albæ aut rubræ nubes videantur, sese recipiens.* 9. *Sol cælo toto sereno occidens.* 10. *Sol instar ignis ruber occidens, bieme tempestatem serenam valde frigidam, æstate serenitatem cum vehementi calore portendit.* 11. *Sol nubilo cælo quidem exoriens nubibus vero mox post ortum ejus evanescitibus.* 12. *Luna fine orbe, nitore puro coloreque argenteo splendens.* 13. *Eadem primis novilunii diebus faciem suam totam cornibus acuminatis ostendens.* 14. *Halones five Cinguli circum solem pariter ac lunam uno fere momento pereentes.* 15. *Quando juxta horizontem, cælo alias licet nubibus abscondito, conspicitur linea clara puraque, ita ut nubes insulæ non sint dissimiles.* 16. *Si post pluvias, leni flatu concomitatas, major incipit vis ventorum aquilonis vel zephyri nubesque elevantur & versus septentrionem aut occidentem*

cidentem dissipantur vel fugantur. 17. Nubes parvæ & candidæ per cælum hinc inde quasi stratae aut sparsæ tempore vespertino. 18. Cæli vesperi nubibus vacui color rubeus. 19. Nubes albide appropinquante sole discusæ. 20. Nebulæ descendentes terramque repetentes. 21. Eadem super aquis, paludibus locisque palustribus sedentes, nec ascendentes. 22. Ros noctu copiose eadens. 23. Cacumina montium visui sese distinctissima & purissima offerentia. 24. Januae aperte faciliores variaque e ligno facta secundum longitudinem fibrarum contractiora reddita.

## §. IV.

Præter enumerata, diurna quoque experientia non paucca nec contemnenda nobis prodidit serenitatem denunciantia, quæ etsi caussam cur sunt vel fiunt rationi adeo palam non faciunt, attento tamen animo observari debent, quippe quæ, si non infallibiliter, magna tamen cum probabilitate futuram cœli faciem serenam nobis prædicunt. Talia sunt 1. Venti Phœbum sequentes, h. e. dum nocte aquilo, mane oriens, meridie austero, vespere rique zephyrus flat, vocaturque svetice Svolgångs-wäder, & inter certiores serenitatis habetur nuncios. 2. Aer tempore imprimis æstivo fumo quasi subtiliori impletus; quem Svethice vocamus Sol-vif. 3. Sonus cataractarum versus boream, eurum aut euro-aquilonem a loco, ubi habitamus, fluemus, solito major & distinctior. 4. Idem præfigium a sono campanarum ad prædictas plagas a loco auditus pendentium. 5. Aquæ in sinibus maris ipso et jam tempore pluviae cito destuentes atque decrecentes 6. Iris brevi tempore sese conspectui nostro subducens. 7. Fulgor vesperi absque tonitru. 8. Ædificia lapidea, quæ formosiora videntur, aura ab exhalationibus pura.

## §. V.

Restant adhuc indicia tempestatis serenæ, quæ a vi-  
vis desumuntur animantibus, quæque licet non omnia  
evidenter, nec liquide ex principiis naturæ enodari que-  
ant; dignoscitur tamen in illis benignitas sapientissimi  
Creatoris, qui naturæ horum dedit, quod nobis usui esse  
voluit convincimurque exinde de utilitate præfigiorum.  
Horum nonnulla, quæ nobis in promptu fuere,  
afferre operæ pretium duxi, quorum sunt. 1. *Oves ca-  
cumina collum vesperi petentes.* 2. *Araneæ super terram  
imperrime versam telas cito texentes.* 3. *Aves minores im-  
primis birundines in alto prædantes.* 4. *Apes mane egre-  
dientes longinque divagantes & sero revenientes.* 5. *Scra-  
rabei sero volantes & frementes.* 6. *Apes terrestres post  
occasum solis flores visitantes.* 7. *Grues per sublime vo-  
lantes rectaque viam sine declinatione tendentes.* 8. *Mil-  
vi & accipitres in excelso vagantes.* 9. *Culices sublime in  
aura ludentes.* 10. *Eruce Cantharidis noctiluce noctu lu-  
men lucidissimum spargentes.*

## §. VI.

Quæ jam adduximus tempestatis serenæ præfigia  
multorum experientiæ & plurium observationibus col-  
lecta, quamquam sese infallibili Lectori non possunt com-  
mendare certitudine, quin tamen aliquam præstent uti-  
litatem rulli dubitamus. Monendum tamen adhuc. 1.  
*Quo plura horum præfigiorum uno eodemque tempore se ob-  
servatori offerunt, eo certior redditur veritatis prognostici.*  
2. *Tempore imprimis astivo prognostica hæc certiora sunt,  
non vero ita hyeme.* 3. *Cælum serenum ejusdem diei sequen-  
tisque tantum prænuntiant, raro ad tertium aut quartum  
diem se extendunt.*\* 4. *Tonitrua præfigiis tempestatum omni-  
bus*

bus illudunt, circulosque (ut ita dicam) observatoris prorsus turbant; licet plura signa serenitatem promittant, nibilo minus tamen adveniens tonitru proximo die imbre sepe torrentis modo effundit. Verum quidem est, & quod confiteamur, nos ultra sphäram probabilitatis adscendere non posse quando quæstio de præfigiis est; quoniam ratio Phœnomenorum & nexus causarum eventuumque nos haud raro fugiat, cum tamen melius est ad aliquam aspirare certitudinem & probabilem in actionibus suis sequi regulam, quam omni plane destitui, speramus Te B. L. conatus nostros in meliorem eo benignius. interpretaturum partem, quo certius est, præfigia laudata rite cognita & recte applicata, ulum, agricultori imprimis, adferre haud spernendum.

\* Excipere tamen licet quæ §. 3:tia N:o 1. 2. 9. 23. §. 4:tia N:o 1. 2: §. 5:tia N:o 2. enumerantur; hæc enim non raro serenitatem plurium dierum futuram indicant.



# DOMINO AUCTORI.

**S**cientiae certe omnes ob insignem utilitatem sese omnibus commendant mortalibus, quiue in eas omni incumbunt nisu, publici aestimationem omnino merentur. Tu sane amice Honoratissime, indefesso studio eximiam tibi comparasti notitiam plurium doctrinæ Humanæ & Divinæ partium. Praesens Tua egregia & solida Dissertatio prima, hanc rem satis superque testatur. Intima in Te hac occasione mihi injungit ut Tibi sincero, sed simul festinanti calamo gratuler, non certe vulgares in studiis litterarum progreffus. De cætero voveo, DEUS T. O. M. tribuat Tuis honestissimis conatibus felicem, optabilemq; omnem successum & cumulet Te omni felicitate, Tuum in commodum, Tuorumque delegationem & gaudium, nullo infortunii casu interruptum. Hæc inter vota mansurus sum ad urnam usque

TUI

*Amantissimus &  
Studioſiſſimus amicus  
GABRIEL AVELLAN.*